

- 35 A. Non habet, unus erat, nec habens mantum neque mentem
 Qui rapuit mantum, mente monente manum.
 V. Octaviane, prior sollempni nomine flores
 Victor victoris nomen et omen habes.
- 40 A. Ludit et illudit suis illum nominis error,
 Nomen ab opposito, non quia vincat, habet.
 V. Tympana Victorem conducunt ad loca Petri,
 Laudibus assurgit obvia Roma patri.
- A. Non laudes sed erant fraudes, non palma sed arma,
 Et rumor et multus ille tumultus erat.
- 45 V. Laude sonant leta cythare¹⁾, plebs, organa, clerus,
 Illi congaudent ille vel ille sonus.
 A. Non cantus sed erant plantus, lira nulla sed ira,
 Arma movens agmen ense sonabat amen.
- V. Peccanti venia, pulsanti porta, vaganti
 50 Meta, reis, cecis, spes, via, victor, ave.
 A. Qui turbas turbet, qui ius abiuret, iniquos
 Approbet, electos exprobet, iste fuit.
 V. Inclita Victoris fuit haec promotio, laudes
 Fingat Alexandro quaslibet iste suo.
- 55 A. Veri candorem nullis obnubilo fictis,
 Sed magis ordiri templo quis ordo rei.
 V. Temptet, procedat, ratio satis obviat, omne
 Quod probat, haec reprobat nec reprobare parat.
- A. Suspirantis adhuc florem collegerat urbis
 60 Tercia post cineres lux, Adriane, tuos.
 V. Hic pater expirat, pia plebs suspirat, honori
 Impius aspirat, hinc dolor, inde dolus.
 A. In libra nutans electio sancta pependit,
 Donec Alexandri ponderat illa bonum.
- 65 V. Et tu victor eras bonus, illud librat et illud
 Roma bonum, morum pondere vincis eum.
 A. Non ita nutavit sanctae discretio librae,
 Quin sit Alexandro pronior illa meo.
- V. Oro, notate meo, suus ille suo placet, ulli
 70 De se sive suo credere nullus habet.
 A. Credet Roma notans, quod in illo splendeat aurum
 Eloquii, fidei gemma, pudoris honor.
 V. Rem fugit, haec fingit, hic veri nulla colore
 Pingit, sed falsi singula nube tegit.
- 75 A. Quae virtus Romae non est audita, precantes
 Non audit nummos nobilis illa manus.
 V. Commendare solet venalia venditor, istis
 Vendit Alexandrum laudibus iste suum.

1) tythare c.